

SACEA CONGREGATIO RITUUM

COMMUNICATIO

Bellum, tot cladibus et ruinis lugubre, nec aedibus sacris pepercit, ex quibus multae deletae, permultae damnis affectae, ita ut praeter egregiae artis opera etiam musica organa non pauca destructa aut inutilia effecta sint.

Supervacaneum est animadvertere, in sacra liturgia musicum organum in eximii muneris partes vocari et ad id conficiendum, quamvis exiguae molis sit, magnum sumptum exquiri. Quare postremis bisce temporibus Societates musicis instrumentis struendis electrophonica organa excogitarunt, quae omnino pneumaticis organis cedunt, at io fabricatione et usu notabilia com moda praebent.

Hisce omnibus perpensis, Sacra Congregatio Rituum, quamvis antiquum tubulatum musicum organum omnibus partibus praefendum esse confirmet, utpote liturgicis necessitatibus magis congruens, tamen electrophonicorum organorum usum non prohibet. Huius rei causa hoc Sacrum Dicasterium, quamquam agnoscit huiusmodi organum, ut alterum tubulatum digne substituat, perficiendum et perpoliendum esse —• quod ut agant Societates, vehementer hortatur — relinquit tamen iudicio sacrorum Praesulum ceterorumque Ordinariorum, ut ii, audita opinione Dioecesanorum Consiliorum musicae sacrae fovendae, in singulis casibus, cum facile non contingit tubulatum organum comparare, in ecclesiis sinant usum organi electrophonici, additis immutationibus,, quibus supra memorata Dioecesana Consilia suggererint.

Datum Romae, die 13 Iulii a. D. 1949.

SB C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus*.

L. **rB** S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius*-